

# S. AUR. AUGUSTINI

HIPPONENSIS EPISCOPI

## ENARRATIONES

IN

## PSALMOS.

---

### ENARRATIO

#### IN PSALMUM CXLVII.

Sermo ad plebem <sup>1</sup>.

I. MEMINIT Charitas Vestra de Psalmo <sup>2</sup>, quem modo cantavimus, in hodiernum diem nos distulisse sermonem. Ipse enim erat, et die Dominico lectus est, et tractandus ipse susceptus. Sed quia evangelica lectione tunc permoti, præ magnitudine timoris nostri et vestræ utilitatis immorati sumus in eo quod nobis Dominus diem novissimum commendavit, cautosque nos et vigilantes expectare voluit adventum suum : terrens etiam exemplo, ne damnet iudicio; sic futurum dicens adventum Filii hominis, sicut in diebus Noë : Manducabant et bibebant, emebant,

<sup>1</sup> Sermo ad plebem, in quo disputat contra ludos et spectacula, necnon adversus Donatistas. — <sup>2</sup> Vide D. Guillon, tom. xxii, pag. 75-77.

vendebant, nubebant, uxores ducebant, donec introiret Noë in arcam, et venit diluvium, et perdidit omnes <sup>1</sup>. Solliciti ergo et magno timore concussi, (quis enim si credit, non timeat?) in eo sumus, quantum potuimus, immorati, ut de vestris moribus vitæ vestra et omnium nostrum sermo produceretur, quo possimus illum diem non solum securi expectare, sed etiam desiderare. Si enim amamus Christum, utique adventum ejus desiderare debemus. Perversum enim est, et nescio utrum verum, quem diligis timere ne veniat; orare, « Adveniat regnum » tuum <sup>2</sup>, et timere ne exaudiaris. Unde autem timor? quia iudex venturus est? Numquid injustus? numquid malevolus? numquid invidus? numquid postremo ab altero expectans nosse causam tuam; ne forte ille quem instruxisti, vel prævaricatione te decipiat, vel minori facundia et facultate deficiens, innocentiae tuæ bonum verbis demonstrare non possit? Nihil horum. Quis ergo venturus est? quare non gaudes? Quis venturus est judicare te, nisi qui venit judicari propter te? Non timeas accusatorem, de quo ipse dixit: « Princeps hujus mundi » missus est foras <sup>3</sup>. » Non timeas malum advocatum: ille enim tibi modo advocatus est, qui tunc iudex futurus est. Ille erit, et tu, et causa tua; sermo causæ tuæ, testimonium conscientiae tuæ. Quisquis ergo futurum iudicem times, præsentem conscientiam tuam modo corrige. Parum-ne tibi est, quod præterita non requiret? Sine reliquo spatio temporis tunc iudicabit: sed cum quanto spatio temporis modo præcipit? Tunc jam corrigi non licebit: modo quis prohibet? Hoc cum vehementer commendarem Dominico die, quia revera, quia prope hoc solum dicendum est, non parum temporis effluxit, et coacti su-

<sup>1</sup> Matth. xxiv, 37 et 42, et Luc. xvii, 26. — <sup>2</sup> Matth. vi, 10. — <sup>3</sup> Joan. xii, 3.

mus hunc Psalmum susceptum ad tractandum, in hunc diem differre. Modo ipse præsto est, intendamus in eum, imo in Deum, qui hos sermones per misericordiam suam in Spiritu suo dispensare dignatus est, ita ut ipse novit expedire infirmitatibus nostris. Quis enim æger consilium medico dare audet?

II. Cum legeretur, credo, aut omnes aut multos vestrum animadvertisse, quod habeat aliquos versus, ad quos aperiendos pulsandum est; maximeque ubi ait: « Qui dat nivem velut lanam, nebulam velut cinerem » spargit: qui mittit crystallum suam velut frusta panis, » in faciem frigoris ejus quis subsistet <sup>1</sup>? » His enim auditis, quisquis ea accipit ad litteram, opera quidem divina cogitavit. Quis enim dat nivem, nisi Deus? et quis nebulam spargit, nisi Deus? crystallum quis durat, nisi ipse? Et habent hæc tria similitudines congruas oppositas. Neque enim dissimilis est lana nivi, aut cinis nebulæ, aut frusta panis candidi nitore et candore crystalli. Est enim crystallum species quædam in modum vitri, sed candidum est. Hoc autem genus traditur ab eis qui noverunt, unde dubitare non debemus, quoniam fidelissima Scriptura testimonium dicit: traditur ergo crystallum durata per multos annos, et non resoluta nive, ita congelascere, ut resolutio non facilis sit. Nives præteritæ hyemis facile dissolvit æstas adveniens: non enim eis ad confirmandam duritiam accessit annositas. Ubi autem nives multæ per annos multos super invicem missæ fuerint, et copia sua violentiam æstatis evicerint, non æstatis unius, sed multarum, præsertim in his terræ partibus, id est, in Aquilonia plaga, ubi nec æstate sol perferventissimus invenitur: ipsa diuturna et annosa duritia reddit hanc speciem, quæ crystallum dicitur. Intendat Charitas Vestra. Quid

<sup>1</sup> Psal. cxlvii, 16, 17.

est ergo crystallum? Nix est glacie durata per multos annos, ita ut a sole vel igne facile dissolvi non possit. Hoc propterea aliquanto diutius exposuimus, quia multi ignorant: nec illi qui hoc forte norunt, de re quam noverunt, onerosum debent habere sermonem, adhibitum non propter se, sed propter eos qui non noverunt. Hæc ergo cum audistis personante Lectore, non dubito vos diversa cogitasse, dixisse aliquos, et verum dixisse: Magna opera Domini, unde particula quædam commemorata est, et ipsa terrena, et prope omnibus annis nota, quomodo ningat Deus, quomodo nebulam spargat, quomodo etiam crystallum solidet. Alios dixisse sibi: Putas-ne sine causa ista in Scripturis posita sunt, aut vere hoc totum habent quod sonant? Non nobis aliquid innuit nix ista et lana, nebula et cinis, crystallum et panis? Sed quare sic Scriptura loqui voluit, per quasdam quasi caligines similitudinum? quanto melius apertius loqueretur? Quare vel quæro, vel hæsito, quid sibi illa verba exigant? quare in audiendo vel laboro? quare plerumque audito Psalmo indoctus abscedo? Hoc est, quod paulo ante dixi: Patere te curari ita sanandus es. Multum superbus et præceps est æger, qui et medicum monere audet, etiam hominem. Consilium ne audebit dare æger medico? Ubi homo ægrotat, et Deus curat, magnum pietatis et sanitatis initium est, antequam scias quare quid dictum sit, credere ita dici debuisse ut dictum est. Hæc enim pietas faciet te capacem, ut quæras quod dictum est; et cum quæsieris invenias, et cum inveneris gaudeas. Adsit ergo nobis apud Dominum Deum nostrum iste affectus precum vestrarum: et si non propter nos, certe propter vos donare dignetur, quod hic absconditum latet. Modo ergo putate nos, quoniam cujusdam spectaculi et editionis divinæ diem promissimus, pronuntiatis his versibus et nondum expositis,

involutas quasdam Editoris nostri sarcinas protulisse. Utique ad hoc involutæ proferuntur, ut evolutæ expectentur: vos autem non tantum intueri, sed et vestiri paramini.

III. Dixeramus autem die Dominico, si meminit Caritas Vestra, qui affuistis, ipsam evangelicam lectionem, quæ nos diutius tenuit, ut Psalmi expositio differretur, congruam lectam fuisse eidem Psalmo. Hoc tunc diximus, sed ostendere non valuimus, quia Psalmum distulimus. Hodie itaque demonstranda est et ipsa congruentia. In evangelica illa lectione territi sumus de die novissimo. Terror ille securitatem parturit: territi enim præcavimus, præcavescentes securi erimus. Quomodo enim præpostera securitas in terrores impellit, ita ordinata sollicitudo securitatem parit. Territi autem sumus, ne præsentem vitam deficientem, volaticam, transitoriam, sic amemus, quasi alia nulla sit: si enim alia nulla est, amemus hanc. Si alia vita nulla est, feliciores nobis sunt qui ad amphitheatrum hodie vigilarunt. Quid enim ait Apostolus? « Si in hac vita tantum in Christo sperantes sumus, miserabiliores sumus omnibus hominibus <sup>1</sup>. » Est ergo alia vita. Interroget quisque Christum in fide sua: sed dormit fides. Merito fluctuas, quia Christus dormit in navi. Jesus enim dormiebat in navi, et navis fluctuabat in aquis et tempestatibus multis <sup>2</sup>. Fluctuat ergo cor, quando Christus dormit. Christus semper vigilat: quid est ergo, Christus dormit? Fides tua dormit. Quid adhuc dubitationis tempestate jactaris? Excita Christum, excita fidem tuam: conspice oculis fidei vitam futuram, propter quam credidisti, propter quam signo ejus signaris, qui propterea duxit hanc vitam; ut tibi ostenderet quam sit contemnenda quam diligebas, et quam sit speranda quam non

<sup>1</sup> 1 Cor. xv, 19. — <sup>2</sup> Matth. viii, 24, 25.

credebas. Si ergo fidem excitaveris, et oculos ejus in novissima miseris, futurumque sæculum in quo gaudebimus post alterum Domini adventum, post judicium peractum, post traditum sanctis regnum cœlorum; si illam vitam cogitaveris, et illius vitæ negotium otiosum, de quo sæpe locuti sumus, charissimi, non fluctuabit negotium nostrum; otiosum negotium plenum solius dulcedinis, nulla interpellatum molestia, nulla fatigatione sauciatum, nulla nube perturbatum. Negotium nostrum quod erit? Laudare Deum, amare et laudare, laudare in amore, amare in laudibus. « Beati qui habitant in domo tua, in sæcula » sæculorum laudabunt te<sup>1</sup>. » Quare, nisi quia in sæcula sæculorum videbunt te? Quare nisi quia in sæcula sæculorum videbunt te? Hoc ergo, fratres mei, quale spectaculum erit in visione Dei? Vident homines Venatorem, et delectantur: vae miseris, si non se correxerint. Qui enim vident Venatorem, et delectantur, videbunt Salvatorem, et contristabuntur. Quid illis miserius, quibus Salvator saluti non erit? Non ergo mirum, quia illis quibus voluptati est homo pugnans, non erit saluti Deus liberans. Nos autem, fratres, si nos in ejus membris meminimus, si concupiscimus, si perseveramus, videbimus et gaudebimus. Erit illa civitas purgatis omnibus civibus suis, nullo admixto seditioso aut turbulento: inimicus ille qui modo invidet, ne ad illam patriam veniamus, illic cuiquam insidiari non potest; quia nec esse ibi permittitur. Si enim modo excluditur de corde credentium, quomodo excludetur de civitate viventium? Quid erit, fratres, quid erit, rogo vos, esse in illa civitate, de qua loqui tantum gaudium est? Huic futuræ vitæ corda præparare debemus: quisquis ei cor præparaverit, totam istam contem-

<sup>1</sup> Psal. LXXXIII, 5.

nit; contempta ista securum facit expectare diem, de quo expectando Dominus terruit.

IV. Cum ergo Psalmus iste dicat nobis et cantet de illa vita futura, Evangelium autem terruerit de præsentis: Psalmus facit amorem futuræ, Evangelium facit timorem præsentis. Nec de futura delectatione tacetur in litteris Novi Testamenti, et multo magis in eis, ubi non tanquam cum involucris quibusdam proferuntur illa quæ intelligenda sunt; sed ibi videntur aperta, ut hic intelligantur obscura. Cum ergo diceret nobis Evangelium, Observate diem novissimum venturum, diem adventus Filii hominis<sup>1</sup>; quia illos male inventurus est, qui modo securi sunt, ideo quia perverse securi sunt, securi sunt enim in voluptatibus sæculi, cum deberent esse securi domitis cupiditatibus sæculi: jam utique ille vitæ nos præparavit Apostolus, in verbis quæ tunc etiam commemoravi. « De » cætero, fratres, tempus breve est: reliquum est, ut » qui habent uxores, tanquam non habentes sint; et qui » emunt, tanquam non ementes, et qui gaudent, tanquam non gaudentes; et qui flent, tanquam non flentes; et qui utuntur hoc mundo, tanquam non utentes » sint: præterit enim figura hujus mundi: volo vos sine » sollicitudine esse<sup>2</sup>. » Qui gaudium totum suum totamque felicitatem suam constituit in manducando, bibendo, uxorem ducendo, emendo, vendendo, utendo mundo isto, sine sollicitudine est et talis, sed præter arcam, vae illi a diluvio. Quisquis autem sive manducat, sive bibit, sive aliquid agit, omnia in gloriam Dei facit<sup>3</sup>: etsi aliqua tristitia est de rebus sæcularibus, sic flet, ut intus in spe gaudeat; etsi aliqua lætitia est in rebus sæcularibus, sic gaudet, ut intus spiritualiter timeat, nec donet se eorumpendum felicitati, nec se det adversitati frangendum: (hoc est enim

<sup>1</sup> Matth. xiv, 44. — <sup>2</sup> 1 Cor. vii, 29-32. — <sup>3</sup> Id. x, 31.

flere tanquam non flentem, et gaudere tanquam non gaudentem : ) quisquis etsi habet uxorem, ejus infirmitati compatiens, reddit, non exigit debitum; aut si propter propriam infirmitatem ducit uxorem, plangens potius quia sine uxore esse non potuit, quam gaudens quia duxit : quisquis vendit, quod novit quia etsi maneret, beatum non faceret; quisquis quod emit, novit quia transiet; et de his omnibus etsi abundantibus, etsi circumfluentibus non præsument, facitque ex eo quod habet, misericordiam cum eo qui non habet, ut et ipse accipiat quod non habet, ab illo qui omnia habet; quisquis talis est, securus expectat diem novissimum, quia non est præter arcam; jam inter ligna imputribilia computatur, ex quibus arca fabricatur<sup>1</sup>. Non ergo timeat venturum Dominum; sed speret, et desideret. Non enim veniet illi ad inferendas poenas, sed ad finiendas molestias. Hoc autem fit desiderio illius civitatis. Quod ergo monuit Evangelium, impletur ejus civitatis desiderio, quam Psalmus cantat : ita congruit Evangelium huic Cantico.

V. Et quam civitatem Psalmus iste cantat, audiamus. Audiamus, et cantemus : gaudium nostrum, cum hoc audimus, canticum Dei nostri est. Non enim tantum cantamus, quando voce et labiis sonamus canticum : est et canticum intus, quia sunt et aures cujusdam intus. Voce cantamus, ut nos excitemus : corde cantamus, ut illi placeamus. « Aggæi et Zachariæ<sup>2</sup>, » Psalmus dicitur. Aggæus et Zacharias prophetæ fuerunt. Erant autem Prophetæ isti jam in captivitate Jerusalem illius, quæ in terra portavit umbram cujusdam cœlestis. In illius ergo civitatis captivitate cum essent in Babylonia, prophetaverunt Jerusalem, prophetaverunt civitatem novam ex reparatione veteris, liberato populo a captivitate<sup>3</sup>. Agnoscimus

<sup>1</sup> Gen vi, 14. — <sup>2</sup> Hic titulus est Psalmi apud LXX. — <sup>3</sup> 1 Esdr. v, 1 et vi, 14.

et istam captivitatem, si vere agnoscimus nostram peregrinationem. In hoc enim mundo, in his tribulationibus sæculi, in hac turba multiplici scandalorum, quodam modo in captivitate gemimus, sed erigemur : prænuntiatur civitas nostra futura æqualis. Nam et post istorum prophetationem, et visibiliter contigit, ut totum explicaretur, quod ad persolvendam imaginem pertinebat. Reparata est Jerusalem post septuaginta annos captivitatis. Sic Jeremias propheta septuaginta annis, septenario illo numero omnem volubilitatem hujus temporis signat; septenario enim numero volvuntur dies hi, sicut nostis, iidem abeunt, iidem redeunt. Post septuaginta ergo annos, cum prophetavit Jeremias reparari civitatem Jerusalem<sup>1</sup>, factum est ut et ibi significaretur imago futurorum : significatum est nobis post omnem istam volubilitatem temporis, quæ septenario numero volvitur, futuram illam civitatem nostram jam in æternitate in uno die. In illa quippe habitatione tempus non volvitur, quia habitator ibi non labitur. Hanc cum viderent in spiritu Prophetæ; videbant illam, dicebant de ista. Sed hæc dicebant de ista, quæ in illam ducebant : et illa omnia quæ fiebant secundum tempus, secundum corporales motiones, secundum actus hominum, signa erant et prænuntiationes futurorum.

VI. Audiamus jam cantari civitatem illam, et erigamur ad eam. Multum enim nobis eam commendat Spiritus Dei, infundens nobis amorem illius, ut ei suspiremus, et in peregrinatione ingemiscamus, et ad illam venire desideremus. Amemus illam, et ipsum amare ambulare est. Ecce amemus illam ex ore sancto, ex ore prophetico et Dei Spiritu dicentis : « Collauda, Jerusalem, Dominum<sup>2</sup>. » In captivitate adhuc constituti, vident illos greges, imo unum gregem omnium civium, undique collectorum ad

<sup>1</sup> Jerem. xxv, 12 et xxix, 10. — <sup>2</sup> Psal. cxlviii, 12.

illam civitatem; vident gaudium massæ, post trituras, post ventilationes jam missæ in horreum, nihil timentis, nihil laboris et molestiæ patientis; et adhuc hic positi, et in ipsa contritione conversantes præmittunt gaudium spei, et anhelant in illam, quasi conjungentes corda sua Angelis Dei, et futuro illi populo secum in gaudio permansuro. « Collauda, Jerusalem, Dominum. » Quid enim factura es, o Jerusalem? Transiet certe et labor et gemitus. Quid factura es? aratura, seminatura, novellatura, navigatura es, negotiatura es? Quid factura es? An in illis operibus quamvis bonis et de misericordia venientibus, exerceri te adhuc oportet? Considera numerum tuum, considera undique societatem tuam: vide utrum aliquis esuriat, cui porrigas panem, vide si aliquis sitiatur, cui des calicem aquæ frigidæ; vide utrum aliquis modo apud te peregrinus est, quem hospitio recipias; vide utrum aliquis sit æger, quem visites; vide utrum aliquis litiget, quem concordes<sup>1</sup>; vide utrum aliquis moriatur, quem sepelias. Quid ergo factura es? « Collauda, Jerusalem, Dominum. » Ecce hoc est negotium tuum. Sicut solet in titulis scribi, Utere felix. « Collauda, Jerusalem, Dominum. »

VII. Estote Jerusalem: mementote de quibus dictum est, « Domine, in civitate tua imaginem ipsorum ad nihilum rediges<sup>2</sup>. » Hi sunt qui modo gaudent talibus pompis: inter illos sunt qui propterea hodie non venerunt, quia munus est. Cui munus est? cui damnum? Aut unde munus? aut unde damnum? Non enim illi tantum qui talia edunt, damno feriuntur: sed majori damno percutiuntur, qui talia libenter intuentur. Illorum arca auro exinanitur, istorum pectus justitiæ divitiis expoliatur. Plangunt plerique editores, vendentes villas suas: quomodo debent plangere peccatores, perdentes animas suas? Ita-ne ad hoc

<sup>1</sup> Matth. xxv, 35, 36. — <sup>2</sup> Psal. lxxii, 20.

clamavit Dominus Dominico die, Vigilate, ut hodie sic vigilaretur? Obsecro vos, o cives Jerusalem, adjuro vos per pacem Jerusalem, per redemptorem, per constructorem, per rectorem Jerusalem, ut convertatis pro illis preces ad Deum. Videant, sentiant quia nugantur; et multum intenti in illa spectacula quæ illis placent, aliquando et se spectent, sibi que displiceant. In multis enim jam factum gaudemus; et aliquando nos quoque ibi sedimus, et insanivimus: et quam multos putamus ibi nunc sedere, futuros non solum Christianos, sed etiam episcopos? Ex præteritis futura conjicimus: ex his quæ jam facta sunt, quæ Deus facturus es prænuntiamus. Vigilent preces vestræ, non gratis gemitis, fratres. Prorsus illi qui evaserunt, deprecantes pro his qui periclitantur, quia et ipsi fuerunt in numero periclitantium, exaudiuntur, et abstrahet Deus a captivitate Babylonis plebem suam, redimet omnino et eruet, et perficietur numerus sanctorum gestantium imaginem Dei. Non ibi erunt, quorum imaginem Deus in civitate sua spernet, et ad nihilum rediget; quia et ipsi in civitate sua, hoc est Babylonia, imaginem ejus ad nihilum redegerunt. Erit ille populus laudans Dominum, quem prævidet modo Spiritus prophetiæ; et dicit ut exultemus in spe, et desideremus ipsam rem. « Collauda, Jerusalem, Dominum; lauda Deum tuum, Sion. » Collauda, » quia ex multis constas: « Lauda, » quia unum facta es. « Multi, inquit Apostolus, unum sumus » in Christo Jesu<sup>1</sup>. » Quoniam ergo multi, collaudamus; quoniam unum, laudamus? Iidem multi qui unum; quia ille in quo unum, semper unus.

VIII. Quare, inquit hæc Jerusalem, collaudo Dominum, et laudo Deum meum Sion? Quæ Sion, ipsa Jerusalem. Diversis causis duo nomina. Jerusalem dicta est

<sup>1</sup> I Cor. x, 17.

Visio pacis : Sion dicta est Speculatio. Videte si aliud sonant ista nomina, nisi spectacula : ne putent gentes se habere spectacula, et nos non habere. Aliquando dimisso theatro aut amphitheatro, cum cœperit ex illa cavea evomi turba perditorum, aliquando tenentes in animo phantasias vanitatis suæ, et memoriam suam pascentes rebus non solum inutilibus, sed et perniciosis, gaudentes in eis tanquam in dulcibus, sed pestiferis; vident plerumque, ut fit, transire servos Dei, cognoscunt ipso habitu vel vestis, vel capitis, vel fronte notos habent, et dicunt apud semetipsos et secum : O miseros istos, quid perdunt? Fratres, rogemus Dominum pro benevolentia ipsorum, quia bonum illud putant. Bene nobis volunt : sed qui diligit iniquitatem, odit animam suam<sup>1</sup>. Si odit animam suam, quomodo amabit animam meam? Tamen ipsa perversa et inani et vana benevolentia, si benevolentia dicenda est, dolent nos perdere quod amant : oremus ne perdant quod amamus. Videte qualem Jerusalem exhortetur ad laudem, vel potius præsentiat laudaturam. Non enim illius civitatis laudes, tunc cum videbimus et amabimus et laudabimus, voce prophetica exhortandæ et excitandæ sunt : sed propterea modo dicunt hoc Prophetæ, ut potent, quantum possunt in hac carne constituti, futura gaudia beatorum, et eructantes in aures nostras, excitent amorem illius civitatis. Ferveamus desiderio, non simus spiritu pigri.

IX. Sed videte qualem Jerusalem dicit laudaturam Deum, et unde laudaturam : perfectione quadam beatitudinis. « Collauda, inquit, Jerusalem, Dominum, lauda » Deum tuum, Sion. » Et quasi diceret : Unde segura laudabo? « Quoniam confirmavit, inquit, vectes portarum » tuarum<sup>2</sup>. » Attendite, fratres mei. « Confirmavit, in-

<sup>1</sup> Psal. x, 6. — <sup>2</sup> Id. cXLVII, 13.

» quit, vectes portarum tuarum. » Vectium confirmatio non est portarum apertarum, sed clausarum. Unde plerique codices habent, « Confirmavit seras portarum tuarum. » Attendat Charitas Vestra. Conclusam Jerusalem dicit laudare Dominum. « Collauda, Jerusalem, Dominum, » lauda Deum tuum, Sion. » Collaudamus modo, laudamus modo, sed inter scandala. Multi quos nolumus, intrant; multi, etsi nolumus, exeunt : ideo crebrescunt scandala : « Et quoniam abundavit iniquitas, ait Veritas, » refrigescit charitas multorum<sup>1</sup> : » propter intrantes, quos dijudicare non possumus; et exeuntes, quos tenere non possumus. Quare hoc? Quia nondum perfectio, nondum illa beatitudo. Quare hoc? Quia adhuc area, nondum horreum. Tunc ergo quid, nisi ut non timeas tale aliquid futurum? « Collauda enim, Jerusalem, Dominum, » lauda Deum tuum, Sion : quoniam confirmavit vectes » portarum tuarum. Confirmavit. » Non dixit : Apposuit, tantum : « Confirmavit vectes portarum tuarum. » Nemo exeat, nemo intret. Nemo exeat, gaudemus : nemo intret, timemus. Nec hoc timeas : cum intraveris, dicetur : tantummodo esto in numero virginum, quæ portarunt oleum secum<sup>2</sup>.

X. Virgines enim illæ animas significant. Non enim vere quinque erant, sed in quinque illis millia sunt. In numero illo quinario millia intelliguntur, non sceminarum tantum, sed et virorum : quia uterque sexus dicitur scemina, quia Ecclesia; et uterque sexus, hoc est Ecclesia, dicitur virgo. « Desponsavi vos uni viro, virginem » castam exhibere Christo<sup>3</sup>. » Paucorum est virginitas in carne, omnium debet esse in corde. Virginitas carnis, corpus intactum : virginitas cordis, fides incorrupta. Ergo dicitur virgo tota Ecclesia, et masculino genere appella-

<sup>1</sup> Matth. xxiv, 12. — <sup>2</sup> Id. xxv, 4. — <sup>3</sup> 2 Cor. xi, 2.

tur populus Dei : uterque sexus populus Dei , et unus populus , et unicus populus ; et una Ecclesia , et unica columba : atque in hac virginitate millia sanctorum . Ergo quinque virgines omnes animas intraturas in regnum Dei significant ; non sine causa quinario numero , quoniam quinque sunt corporis sensus notissimi omnibus . Per quinque enim januas intrat aliquid per corpus ad animam : aut per oculos intrat quod concupiscas male , aut per aures , aut per olfactum , aut per gustum , aut per contactum . Per has quinque januas quisquis non admiserit corruptionem , inter quinque virgines computatur . Admittuntur autem corruptiones per illicita desideria . Quid autem liceat et non liceat , pleni sunt libri Scripturarum . Ergo opus est ut sis in illis quinque virginibus . Non timebis quod dictum est : Nemo intret . Dicitur enim hoc , et fiet hoc ; sed cum intraveris , nemo contra te claudet , sed te ingresso , claudentur portæ Jerusalem , et firmabuntur vectes portarum ejus . Nam tu si esse volueris aut non virgo corde , aut etsi virgo , inter fatuas virgines ; foris remanebis , et frustra pulsabis .

XI. Quæ sunt fatuæ virgines ? Et ipsæ quinque sunt : quæ , nisi animæ quæ habent istam continentiam carnis , ut vitent corruptelas ab omnibus sensibus venientes , quos sensus jam enumeravi ? Vitant veluti corruptiones venientes undique , et non in conscientia gerunt bonum suum coram oculis Dei : sed placere inde volunt hominibus , et iudicium sequuntur alienum . Favores vulgi aucupantur ; viles sibi sunt , cum spectatoribus esse charæ volunt ; non eis sufficit conscientia . Merito non portant oleum secum . Oleum autem est ipsa gloriatio , propter nitorem et splendorem . Sed quid dicit Apostolus ? Vide virgines sapientes portantes oleum secum . « Opus autem suum prohet unus- » quisque , et tunc in semetipso habebit gloriam , et non

in altero<sup>1</sup>. » Hæ sunt ergo virgines sapientes . Stultæ autem accendunt quidem lampades , videntur quidem lucere opera earum : sed deficient , et extinguentur ; quia non de oleo interiore pascuntur . Et dormiunt omnes tardante sponso : quia ex utroque genere hominum obdormiscunt in mortem ; et de illis fatuis , et de his sapientibus , tardante adventu Domini , itur in mortem istam corporalem et visibilem , quam somni loco Scripturas ponere notum est omnibus Christianis : cum diceret de ægrotantibus Apostolus : « Propterea in vobis , inquit , multi » infirmi et ægri , et dormiunt sufficienter<sup>2</sup>. » Dormiunt , moriuntur . Sed ecce venturus est sponsus , et omnes surgent , sed non omnes intrabunt . Deficient opera stultarum virginum , non habentium oleum conscientiæ ; non invenient a quibus emant , quod illis solebant vendere adulatores . Ab irridentibus enim dicitur , non ab invidentibus : « Ite , emite vobis . » Petierant enim stultæ a sapientibus , et dixerant eis : « Date nobis oleum , quia » faces nostræ extinguuntur . » Quid illæ sapientes ? « Ne » forte non sufficiat nobis et vobis , ite potius ad vendentes , et emite vobis . » Hoc admonere erat , Quid vobis modo prosunt , a quibus emere soletis adulationem ? « Et » cum eunt , inquit , intrarunt illæ , et clausum est os- » tium<sup>3</sup>. » Cum eunt corde , cum talia cogitant , dum se ab illa intentione alienant , et retro præterita sua recordantur , eunt quasi ad vendentes : et non inveniunt tunc faventes , non inveniunt tunc laudantes , a quibus solebant laudari , et quasi excitari ad bona opera , non robore bonæ conscientiæ , sed incitamento linguæ alienæ .

XII. Et illud quod dictum est : « Ne forte non sufficiat » nobis , » magna consideratione humilitatis dictum est .

<sup>1</sup> Gal. vi, 4. — <sup>2</sup> 1 Cor. xi, 30. — <sup>3</sup> Matth. xxv, 1-13.



Oleum enim quod gestamus in conscientia, iudicium est nostrum de nobis ipsis, quales simus; et difficile est, ut de se quisque perfecte iudicet. Fratres mei, quantumlibet homo proficiat, quantumlibet se ad anteriora extendat, et præterita obliviscatur<sup>1</sup>; si jam dicit sibi, Bene est: procedit regula de thesauris Dei, examinat ad liquidum; et quis gloriabitur castum se habere cor? et quis gloriabitur mundum se esse a peccato<sup>2</sup>? Sed quid dixit Scriptura? « Iudicium sine misericordia illi, qui non » fecit misericordiam<sup>3</sup>. » Quantumcumque proficias, sperabis in misericordiam. Nam si iustitia sine misericordia prolata fuerit, in quolibet quod damnet inveniet. Quæ nos consolatur Scriptura? Quæ hortatur ad misericordiam faciendam, ut omnino crebrescamus in erogando quod amplius habemus. Multa autem superflua habemus, si nonnisi necessaria teneamus: nam si inania quæramus, nihil sufficit. Fratres, quærite quod sufficit operi Dei, non quod sufficit cupiditati vestræ. Cupiditas vestra non est opus Dei. Forma vestra, corpus vestrum, anima vestra, hoc totum opus Dei. Quære quæ sufficiant, et videbis quam pauca sint. Viduæ suffecerunt duo nummi ad faciendam misericordiam<sup>4</sup>, suffecerunt duo nummi ad emendum regnum Dei. Ad vestiendos toties venatores quid sufficit Editori? Videte, quia non solum pauca sunt, quæ vobis sufficiant; sed nec ipse Deus multa a vobis quærit. Quære quantum tibi dederit, et ex eo tolle quod sufficit: cætera quæ superflua jacent, aliorum sunt necessaria. Superflua divitum, necessaria sunt pauperum. Res alienæ possidentur, cum superflua possidentur.

XIII. Faciens ergo huiusmodi misericordias, et illam præcipue quæ gratis constat, « Dimitte, sicut dimittimus<sup>5</sup>; »

<sup>1</sup> Philip. III, 13. — <sup>2</sup> Prov. XX, 9. — <sup>3</sup> Jacob. II, 13. — <sup>4</sup> Marc. XII, 42. — <sup>5</sup> Luc. VI, 37, et Matth. VI, 12.

quo nonnisi charitatem erogas, quæ crescit cum erogas: faciens ergo et fervens in ipsis bonis operibus misericordiam, quæ jam bona opera, ut jam diximus, tunc non erunt necessaria, quia nullus erit miser in quem facienda sit misericordia<sup>1</sup>; expectabis securus iudicium, non tam securus de iustitia tua, quam securus de misericordia Dei, et tu misericordiam prærogasti. « Iudicium enim sine » misericordia, illi qui non fecit misericordiam. Super- » exultat autem, inquit, misericordia iudicio<sup>2</sup>. » Ne putetis, fratres, quia tunc non est justus, quando nostri non miseretur, aut recedit a regula iustitiæ suæ. Et cum damnat, justus est; et cum miseretur, justus est. Quid enim tam justum, quam reddere misericordiam præroganti? Quid tam justum, quam ut in qua mensura mensi fueritis, in ea remetiatur vobis<sup>3</sup>? Da egenti fratri. Cui fratri? Christo. Si ergo quia fratri Christo, et quia Christo Deo, qui est super omnia benedictus in sæcula<sup>4</sup>: Deus egere a te voluit, et tu manus retrahis? Certe tu porrigis manum, et petis a Deo: audi Scripturam, « Non sit manus tua porrecta ad accipiendum, et ad dandum col- » lecta<sup>5</sup>. » Erogari sibi vult Deus, ex illo quod dedit. Quid enim das, quod ille non dedit? « Quid enim habes, » quod non accepisti<sup>6</sup>? » Aut vero, non dico, Deo, sed cuilibet de tuo das aliquid? De illius das, qui jubet ut des. Prærogator esto, non invasor. Hæc ergo faciens, et si bona humilitate dicis de illo oleo: « Ne forte non sufficiat nobis<sup>7</sup>, » intras et clauditur. Audi Apostolum hoc dicentem: « Mihi autem minimum est, ut a vobis » dijudicer<sup>8</sup>. » Quando enim potestis iudicare conscientiam meam? Quando examinare quo animo facio, quid-

<sup>1</sup> Vide supra in Psal. LXXXIII, n. 8 et 11. — <sup>2</sup> Jacob. II, 13. — <sup>3</sup> Matth. VII, 2. — <sup>4</sup> Rom. IX, 5. — <sup>5</sup> Eccli. IV, 36. — <sup>6</sup> I Cor. IV, 7. — <sup>7</sup> Matth. XXV, 9. — <sup>8</sup> I Cor. IV, 3.